Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

concumfundimur, ac obstupescentes. nec ignorare po-
tuimus. nescio quid fuisse divinum. Post duas fere horas
ad nos Martinus egreditur. ac tum iste Sulpicius (sic enim apud
eum nemo familiarius loquebatur) cepit orare. ut perqui-
rentibus indicaret illud divini fuisset horroris quod
fatebamur nos ambo sensisse vel cum quibus fuisset in cella
locutus. tenuem enim nos licet et vix intellectum ser-
mocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu mul-
tumque cunctatus. sed nichil erat quod ei Sulpicius iste non ex-
torqueret invito. Incredibiliora forte dicturus
sum. sed Christo teste non mentior. nisi quis quam est tam sacrilegus
ut Martinum estimet fuisse mentitum. Dicam inquit vobis. sed
vos nulli queso dicatis. Agnes. Tecla et Maria mecum
fuerunt. Referebat autem nobis vultum atque habitum sin-
gularum. nec vero illo tantum die. sed frequenter se ab eis con-
fessus est visitari. Petrum et Paulum apostolos videri a se sepius
non negavit. Iam vero demones prout ad eum quosque venis-
set suis nominibus increpabat. Mercurium maxime
patiebatur infestum. Iovem brutum atque hebetem esse dicebat.
Hec plerisque et in eodem monasterio constitutis incre-
dibilia videbantur. nec dum ego confidam omnes qui hec
audiunt credituros. Nam nisi inestimabilem vitam
atque virtutem Martinus egisset. nequaquam apud nos
tanta gloria preditus haberetur. Quamquam minime si
inopibus Martini infirmitas humana dubitavit
cum multos hodie videamus ne evangelio credidisse. quidem

Ubi angelus quid gestum Nemauso fuisset
in synodo nuntiavit MARTINO.

AMARTINO autem sepe angelos visos familia-
riter et sensimus et experti sumus. Rem minimam dicturus
sum et tamen dicam. Apud Nemausum episcoporum synodus
habebatur. ad quam quidem ire noluerat. sed tamen quid ges-
tum esset scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpicius na-
vigabat. sed procul tamen ut semper a ceteris in remota na-
vis parte residebat. Ibi enim angelus quid gestum esset
in synodo indicavit. Nos postea tempus habiti concilii
solliciti requirentes. satis compertum habuimus ipsum di-
em fuisse conventus. et ea ibi ab episcopis fuisse decreta.
que Martino angelus nuntiarat. Hec cum maxime
Gallus nec dum explicitis que statuerat referre loque-
retur. puer familiaris ingressus est nuntians Refri-
gerium presbyterum stare pro foribus. Dubitare cepimus utrum
Gallum adhuc esset melius audire. an exoptatissimo
nobis viro qui officii causa ad nos veniebat occurre-
re. Tum Gallus etiam si non ob adventum sanctissimi sacerdotis
relinquenda nobis esset hec oratio. nox ipsa cogebat
huc usque protractum finire sermonem. Verum que de Mar-
tini virtutibus nequaquam explicari universa potuerunt.
Hec vos hodie audisse sufficiat. cras reliqua dice-
mus. Ita pariter accepta Galli sponsione surreximus.

Incipit liber III. Ubi hominum multitudo
occurrit Gallum audire de virtutibus sancti
Martini episcopi.

Lucescit o Galle surgendum est. nam ut vides
et noster Postumianus instat. et hic presbyter qui hesterno au-
ditorium amisit expectat. ut que de Martino
nostro in hodiernum diem explicanda distuleras. debi-
tor sponsionis evolvas. Non ignarus quidem iste omni-
um quecumque memoranda sunt. sed dulcis et grata cogni-
tio est etiam nota relegenda. Siquidem natura ita compara-
tum sit ut meliori quis conscientia se nosse congaude-
at. que multorum testimoniis non esse incerta cognoscat.
Nam et hic a prima adolescentia Martinum secutus.
novit quidem omnia. sed libenter cognita recognoscit.
Fatebor enim tibi Galle Martini mihi quidem sepius auditas
esse virtutes. quippe qui de eo etiam litteris multa manda-
verim. sed pro gestorum ammiratione semper nova sunt
que de illo licet sepius audita revolvuntur. Proinde addi-
tum nobis Refrigerium auditorem eo impensius gratu-
lamur. quo promptius Postumianus iste qui hec orienti
inferre festinat. quasi sub testibus consignatam ab iste
accepturus est veritatem. Hec me loquente Gallo iam
ad narrandum parato. irrupit turba monachorum.
Evagrius presbyter. Aper. Sebastianus. Agricola. et post paululum
ingreditur presbyter noster cum Etherio cum Calupione diacono et
Amatore subdiacono. Postremo Aurelius presbyter dulcis-
simus meus longiore via veniens anhelus cucurrit.
Quid vos inquam tam subito et tam insperati. tam ex
diversis regionibus. tam mane concurritis. Nos inquit
hesterno die cognovimus Gallum istum per totum diem
Martini narrasse virtutes. et reliqua in hodiernum
diem que nox oppresserat distulisse. propterea maturavimus.
frequens auditorium facere tantam materiam locuturo.
Interea nuntiatur multos secularium stare pro foribus nec
ingredi audentes. sed ut admitterentur orantes. Tum
Eberus. nequaquam istos inquit nobis admisceri convenit.
qui ad audiendum potius curiositate quam religione ve-
nerunt. Confusus ergo illorum vice quos non admittendos
esse censebat. egre tamen optinui ut Eucherium ex
vicariis et Celsum admitterent consularem. ceteri sunt re-
pulsi. Tum Gallum media in sede componimus. Qui cum
diu nobili sua verecundia silentium tenuisset. tan-
dem ita exorsus est. Convenistis enim inquit ad me
audiendum et sancti et diserti. sed religiosas potius quam doc-
tas aures ut arbitror attulistis. audituri me fidi
testes. non oratoris copia locutum. Que autem hesterno

163